

gnis inaequalibus distantibus, & veluti aristatis. Caulis uniflorus, striatus, teres, nudus, simplex, semipedalis, aut etiam altior; quandoque bifidus est, ad divisionem foliolo sessili lanceolato instructus, quod glabrum est habens tamen paucos pilos ad originem. Hi rami longissimi sunt, nudi, uniflori. Calyx ex squamis fere unius ordinis virentibus, leviter tomentosus, squamae aliae minores, inaequales ad basim accedunt. Flos luteus calyce major. Semina striata, linearia, nigra: pappus simplex. Proximum est *HIERACIO glauco*, sed differt foliorum forma, atque hirsutiae, quae nulla est in *glauco*, pilos tantum habente in costa, & margine.

793. Neque rarum est supra *la Madonna delle finestre*; nascitur etiam circa *Thermas Valderianas*.

794. Figura 3. Tab. XXIX. pertinet ad *HIERACIUM intypaceum*.

803. Longe minus frequens est in *Pedemontio*, quam in *Sabaudia*.

805.* *CREPIS leontodontoides*. N.

ICON. TAUR. Vol. XIII. tab. 95.

Crepis glabra, foliis runcinatis hastatis, caule subnudo, calycibus cylindricis non reflexis.

Loc. Ad oras sylvarum prope *Mieuje*.

DESCR. Planta biennis, tenera, glaberrima; radix dura sublignosa parum fibrosa. Folia ex radice pauca quatuor, aut quinque ad summum, longe petiolata runcinata, profunde pinnatifida pinnis triangularibus acutis dentatis, sensim majoribus, majorique parte confluentibus, extremum folium sive pinna extrema major reliquis est, hastata, dentata, & acuta. Inter ea folia erigitur caulis teres ab octo ad duodecim uncias parisienses, unum habens foliolum lineare; nunc simplex & uniflorus, nunc bifidus ramo majore iterum interdum bifido, ad ramorum divisiones exigua bractea lanceolata. Rami uniflori nudi: calyx glaber, exterior ex squamis brevibus ovatis acutis subalbicantibus, septem aut octo; interior cylindricus ex unico ordine squamarum

linearium. Calyx non reflectitur; pappus vix calyce altior; flos calyce major. Semina gracilia per longum striata cum pappo simplici. Per culturam habitum multo ramosiorem, majoremque altitudinem nanciscitur.

817.* SONCHUS Plumieri. L.

Sonchus pedunculis nudis, floribus paniculatis, foliis runcinatis.

LINN. spec. p. 1117.

Sonchus, caule glaberrimo, foliis runcinatis glabris, racemo laxo glaberrimo, pedunculis nudis. GOV. ill. p. 54.

Lactuca alpina glabra acanthi folio, flore magno caeruleo. VAILL. in Actis Ac. Sc. Paris. ann. 1721. p. 200.

Loc. Locis editis, & pinguibus supra Carthusiam S. Hugonis in Sabaudia.

823. Constat non modo nasci in valle Augustae Praetoriae, sed aliis etiam locis lapidosis subalpinis calidioribus.

828. Frequens est etiam in montibus di Caselette, & Cumiana.

838. Crescit etiam in pratis supra Sestrieres.

853. Revera varietas est superioris.

891. ALYSSUM sativum.

Alyssum foliis sagittatis, siliquis cordiformibus. HALL. hist. I. n. 489.

Alyssum sativum. SCOP. ed. 2. n. 794.

Myagrurn siliculis obovatis pedunculatis polyspermis. LINN. spec. p. 894.

Camelina (sativa) foliis scabris sagittatis leviter dentatis. CRANTZ. ed. 2. p. 18. fasc. 1.

Thlaspi (camelina) foliis auriculatis dentatis silicula tumente integra polysperma, septo valvis parallelo. CRANTZ. crucif. p. 78. n. 11.

Myagrurn sylvestre. BAUH. pin. 109.

Camelina, s. Myagrion. DOD. pempt. 532.

Loc. Sponte nascitur in arvis prope Moutiers in Sabaudia.